

dicitur ne absente se cum hoste manus consererent. Id 12
ambo aegre passi duces, magis Hanno, iam ante anxius
gloria eius: Muttinem sibi modum facere, degenerem Afrum
imperatori Carthaginiensi misso ab senatu populoque? Is 13
perpulit cunctantem Epicyden ut transgressi flumen in aciem
exirent: nam si Muttinem opperirentur et secunda pugnae
fortuna euenisset, haud dubie Muttinis gloriam fore.

Enimuero indignum ratus Marcellus se, qui Hannibalem 41
subnixum uictoria Cannensi ab Nola reppulisset, his terra
marique uictis ab se hostibus cedere, arma propere capere
milites et efferri signa iubet. Instruenti exercitum decem 2
effusis equis aduolant ex hostium acie Numidae nuntiantes
populares suos, primum ea seditione motos qua trecenti ex
numero suo concesserint Heracleam, dein quod praefectum 3
suum ab obtrectantibus ducibus gloriae eius sub ipsam
certaminis diem ablegatum uideant, quieturos in pugna.
Gens fallax promissi fidem praestitit. Itaque et Romanis 4
creuit animus nuntio celeri per ordines misso destitutum ab
equite hostem esse quem maxime timuerant, et territi 5
hostes, praeterquam quod maxima parte uirium suarum non
iuabantur, timore etiam incusso ne ab suomet ipsi equite
oppugnarentur. Itaque haud magni certaminis fuit; primus 6
clamor atque impetus rem decreuit. Numidae cum in
concursu quieti stetissent in cornibus, ut terga dantes suos
uiderunt, fugae tantum parumper comites facti, postquam 7
omnes Agrigentum trepido agmine petentes uiderunt, ipsi